



P. d. 38  
Cont

Th. hist. R. IV. 150. 762.

201.





LECTOREM BENEVOLVM  
 SALVTIS EXOPTATISSIMAE  
 VOTO  
 EXCIPIIT  
**MARTINVS**  
**CHLADENIVS**  
 SS. THEOLOG. DOCTOR ET PROFESSOR  
 PVBLICVS, ALVMN. REG. ELECT. EPHORVS  
 ET H. T. ORD. THEOL.  
 DECANVS.





mnium, qui malae causae infervi-  
unt, & colores veri quaerunt, qui-  
bus eam pingant & commendent,  
solennis ac perpetua consuetudo  
est, deserere statum quaestionis,  
de qua controvertunt, & ad alia  
delabi velut devia, quibus oppu-  
gnantem abducant, & alios fasci-  
nent, ne veritatem causae disceptandae perspicere possint.  
Papatus speciatim cum omnibus suis doctrinis, si eas in  
analogia & relatione consideres, adeo a verbo Dei ablude-  
re jamdudum deprehensus est, ut ad id probandum non  
alii & robustioribus testibus indigeamus, quam quos  
ipse Papalis coetus in sinu suo fovit fovetque, viros eru-  
ditos, confessosque, nullo equidem tormento, nisi consci-  
entiae, adhibito, nostram doctrinam nihil habere, quod  
merito vituperetur, superstitionem vero satis crassam inter  
suos propugnari. Tot praeterea tantisque argumentis ex  
Scriptura adhibitis idoneae Hermenevticae mediis, de-  
monstratum est, quicquid circa coenam, justificationem,  
aliosque articulos Papismus docet, veritati refragari atque  
a genuina & Apostolica doctrina tantum distare, quantum  
coelum a terra, ut superfedere ulteriori opera queamus.  
Nec ignorant hoc, quibus nostratum ipsiusque Scripturae  
lectio atque conscientia veri perculit pectus, unde a do-  
ctrinae momentis retrahere pugnam capiunt, eamque alio  
convertere, ubi se credunt feliciori Marte depugnatu-  
ros, & aliquod animarum accupium cum lucro instituturos.  
Vix vero commodius argumentum se illis offert, quam si  
de ministerio Evangelicorum detrahant, illudque suggil-  
lent, atque nullius illud ponderis esse dictitent & scripti-  
tent. Arma in manus ipsis tradit seculi prurientis & fa-  
stuosi



fluosi impique genius, qui evangelii tantum non pertae-  
sus, doctores & ministros verbi interdum postremo aut  
nullo plane loco habet, & quantum in ipso, ut quam mi-  
nutissimi sint, curat studetque: Arripiunt hoc Lojoli-  
tae cumprimis, & si vel maxime apertis oculis inno-  
centiam doctrinae munerisque, quod gerunt isti  
inter Evangelicos, intueantur & agnoscant, nihilominus  
ad invidiam illis concitandam, & controversiam de ipso-  
rum vocatione & integritate muneris movendam, nervos  
malignitatis omnes convertunt. Callidum hoc Satanae  
inventum est, & inter ejus postrema strategemata merito  
numerandum. Sic enim a statu controversiae de capiti-  
bus doctrinae, circa quae totum bellum geri merito oportuit,  
homines abducuntur, & ad cogitanda ea, quae in oculo-  
s, nonnunquam satis fascinatos, incurrunt, invitantur, ac  
in suspicionem, contentum, odiumque ministrorum verbi  
sensim deducuntur, adeo ut tametsi finem suum ubique  
non assequantur, (vivit enim Deus, et vivit ecclesiae suae,  
vivit ejus sinceris praesidibus ministrisque, vivit etiam ver-  
ris ejus ac genuinis membris, eorumque animos confir-  
mat!) non tamen omni eventu quem sibi pollicebantur,  
proh dolor! destituuntur. Talia nuper admodum expe-  
divit arma, qui inter homines societatem Jesu prae se fe-  
rentes *stateram veritatis* edidit novissime, conatu prorsus  
infausto, atque in eos, qui in ecclesia nostra sacris invigi-  
lant, adeo criminoso & injurio, ut quo agitatus fuerit au-  
tor spiritu vertiginis, nullo negotio conspici possit. Cum  
enim, si non laudatiori, saltem tolerabiliori quodammodo  
instituto, dubia quaedam fidei movere potuisset, in diver-  
sam maluit abire viam, & de dignitate & integritate mi-  
nisterii nostri disputat, nec Lutherum nec alium, quen-  
quam penes nos pro vero & genuino ecclesiae ministro  
agnoscit, sed pro deceptoribus ac defraudatoribus omnes



ac singulos proclamat, & acerbissimis, quibus fieri poterat, modis perstringit. Antiqua equidem, ut mitissime dicam, est lyra & fabula, & vel millies a nostratibus confutata atque in nihilum redacta; quid vero sit esse impudentem, nisi hoc fuerit? rem dudum profligatam recipere pro integra, ejusque validitatem iactare, quae tamen nulla est prorsus, nullaque futura erit unquam? Interea ausus ejusmodi impii autorem suum interdum non destituunt, sed juvant aliquamdiu & delectant, seducunt etiam forte nonnullos, quibus jam alteruter pes in fide claudicat, faciuntque ut, donec evigilantis conscientiae morfu aliquando angatur, quod certo certius tandem futurum est, de partu suo infelici triumphet, & velut re bene gesta ludos agat. Ita enim schedam impiam, nihilque prorsus sani aut sobrii habentem, claudit: *Thecel: Appensus es in statera & inventus ea minus habens! Probatum est!* postquam antea sub trutinam male sanam parumque justam revocaverat vocationem ministrorum Evangelicorum, eamque illegitimam esse definiverat, ex illo solo ruinoso fundamento, quoniam non a Papa & Clero Romano dependeat: hinc omnem adhibet operam, ut demonstret Lutherum nullo modo vera vocatione gavissum fuisse, idque pro more gentis suae tantis ubique intermixtis satyris & scommatibus, ut si fuisset scriptor aut verus Sacerdos, qualem se jactat in titulo, ubi quadratis literis Anonymus se vocat EINEN PRIESTER S. J. aut saltem igniculos Christianae prudentiae conscientiaeque sensisset, in tam arduo negotio a talibus abstinuisset. Atqui vero mi Lojolita, scire te hoc primum oportebat, Lutherum & verbum Dei pure sancteque praedicavisse, & tantum in sua vocatione juris, & in administratione sui muneris tantum divini auspicii, tantumque eruditionis, iudicii, animi praesentis, fiduciae erga Deum bonamque causam, tantum quoque meritum er-

ga



ga Reges, Principes, subditos, & omnes reliquas mortali-  
um classes habuisse, ut Numine ipso, Angelis sanctis,  
omnibusque bonis applaudentibus testantibusque eo plus  
gloriae atque existimationis post fata possideat, quo plus ab  
ea detrahunt, qui malae causae diffusi omnem bilem in  
Virum innocentissimum effundunt. Vivit ille dubio pro-  
cul meliorum divorum coetui insertus, quam quos simpli-  
cibus hominibus papalis superstitio obrudit, ipseque re-  
vera sancti ac divi nomine multo digniora nobis non ado-  
ratione, sed doctrinae Apostolicae, quam ex tantis tenebris  
revocavit in lucem, agnitione & propagatione colitur. Imo  
& istud te scire decebat, vocationis jus non dedisse Deum  
rasae cohorti, verum ecclesiae suae, quae ex animabus a  
Jesu Christo redemptis consistit, quaeque potestatem habet  
adscitis in deliberationem, justo ordine Hierarchiis tribus,  
constituendi & ordinandi ministros & doctores ad verbum  
Dei, rite & sine corruptela praedicandum, & Sacramenta  
absque mutatione ulla, cujus ecclesia Romana dudum est  
convicta, administranda ac dispensanda, sigillatim ad abso-  
lutionem impertiendam; ad refutandum adversarios, ad so-  
landum miseros per meritum Christi unicum solatii fon-  
tem, qui in ecclesia Romana exaruit; ad veram sanctimo-  
niam inculcandam, quae vi doctrinae papalis in ecclesia ve-  
stra nequit esse genuina, ad praecavenda flagitia, quae alio-  
qui vi disciplinae vestrae impune patrari possent, & quae  
alia sunt munia Ecclesiae imposita, si vel maxime id sine  
ulla fronte neges, & Tibi ecclesiam solis *Sartoribus* & *Suto-  
ribus* constantem concipias; quasi vero illorum animae Sal-  
vatori non perinde, aut magis carae fuerint, quam turgido-  
rum monachorum. Tandem vero & istud ad animum re-  
vocare tibi debebas, illius arrogantiae te nullas habere cau-  
sas idoneas, cum tanta ubique doctorum & ministrorum  
ecclesiae contentio in nostra ecclesia non deprehendatur,



ut quidem fingis. Sunt inter nos non pauci, quibus cor-  
pium salit intra pectus, quique intelligunt provinciae doc-  
cendi in ecclesia amplitudinem, omnique opera contem-  
dunt, ut ille status sit maneatque honoratus propter Chri-  
stum, Ordinis istius praesidem & ἀρχιποιμένον, ipsi & adju-  
mento, &, si opus fuerit, vindicta praesentissimum, nihilque  
facile admittunt, ex quo colligi possit, illam Hierarchiae  
portionem in ipsorum oculis vilissimam postremaeque clas-  
sis haberi. Tibi vero praeterea, quicquid superbiae & ar-  
rogantiae subnasceretur animo, protinus erat eliminandum  
ac praecipitandum, si cogitares, quae non quidem nostrae,  
sed ex meditullio ecclesiae Romanae quamplurimi Viri  
eruditione & fama clarissimi de ordinis tui ad docendum  
violenter arrepta potestate hinc inde scripserunt, & adhuc  
scribunt. Integram aliquando B. SCHERZERUS Biblio-  
thecam talium Scriptorum evulgavit, qualia sunt CAROLI  
MOLINAE JCTi Parisini Consilium super commodis vel  
incommodis novae Sectae seu factitiae religionis Jesuita-  
rum, ubi eos contra Canones antiquos produisse asserit p. 43.  
JULII CLEMENTIS Placentini liber de Potestate Pontifi-  
cia in Societatem Jesu Parisiis 1636. editus, in quo ordinem  
brevi ecclesiae minus utilem, imo & noxium aliquando fu-  
turum esse scribit: FR. IUNIPERI DE ANCONA Consul-  
ratio de causis Religiosae disciplinae in Societate Jesu in-  
stauranda, ubi non veretur societati *nullum verbum veri-  
tatis sed perpetua mendacia* ac simulationes & dissimulatio-  
nes tribuere, canes & malos operarios, terrena animalia, dia-  
bolica sapientia praeditos, stylo Apostolico appellare, p. 125.  
sq. His Scriptoribus integram adhuc aliam Bibliothecam vel  
teipso fatente addere possemus, eorum qui de ministerio Je-  
suitarum invalido & impio scripserunt, Nam vel ipsi Socii  
foederis istius morbos suos non dissimulare potuerunt, ut  
exemplo JOHANNIS MARIANAE patet, quem BARONIUS dignum  
Socie-



Societatis Professore nominat, quique de morbis suae societatis differuit: nec credimus aliam habuisse mentem BELLARMINUM ipsum dum genitus columbae deplorauit. Habeas itaque in Tuis finibus, Jesuita, quod ageres & amolireris, nihil vero causae habebas, DEUM testamur & tuam conscientiam, cur Lutheri & Lutheranorum ministerium verbi praedicationem tam ridicule saggillares. Et si enim HERIBERTUS ROSWEYDUS LAURENTIUS FORERUS, JACOBUS GRETSERUS & alii ordinis Tui Antistites defricare accusationes voluerint, an tamen id ad normam verbi divini exacte atque rei veritati conformiter factum fuerit, hominum sobriorum esto iudicium; & dies ipse Numinis, aliquando omnis falsitatis detector ac vindex, dilucidabit: Ut adeo in diluendis iis, quae inter Vos adversus Vos scribuntur, multum adhuc temporis consumendum, nec curanda ea sint quae in nostra ecclesia geruntur.

Habeat vero suam sibi stateram Anonymus Jesuita, & ex aequa divinae iustitiae lance, nisi resipiscat, abundantissimam aliquando mercedem in sinu suo expectet; TE vero *Lector Benigne, atque Benevole*, exoratum cupio, ut mecum subinde perpendas, in quantam errorum abyssum non saltem recidere possint, qui posthabita verbi divini regula, traditionibus solis & humanae auctoritati se totos vendicant, verum etiam quam callide & versute soleant procedere nobiscum, ut loco quaestionum dogmaticarum, mera, quae ajunt personalia, tractanda sumant, & talia quae titillare prurientes ac novaturientes hominum aures possint: simul vero DEO nostro supplices agas grates, quod inter tot tantaque vafritie excogitatos insultus hostium, ecclesiam suam nihilominus tutam praestet & immunem, atque hinc inde victoriam veritatis concedat, jubeatque paulatim in Academia adolefcere Viros juvenes in verbo DEI puriorique ejus cognitione quotidie cum laude proficientes & sese parantes per  
dispu-



disputationum praeludia ad certamen, si opus sit, cum omnibus, qui veritati mendacium praeferunt, ineundum. Quorum Tibi Tuoque favori commendo sequentes Florentissimos Consecraneos ac studiosos sanctioris disciplinae, qui Collegio nostro Disputatorio in universam Theologiam nuper finito interfuerunt, & ordine fortuito hic sunt commemorandi. Sunt vero illi:

DN. M. DANIEL GOEZIUS, Stolberga Misnicus.  
CHRISTIANUS HALBUSCHIUS, Durlaco-Marchicus.  
M. CHRIST. AUGUSTUS HAUSEN, Dresda Misn.  
VALENTINUS JULIUS STEIN, Rostochiensis.  
M. DAVID CHRISTIAN LANGE, Vitemb. Saxo.  
JOACHIMUS DIETERIC. WODROFF, Hauniensis Danus.  
M. IMMANUEL WEBERUS, Vitemb. Saxo.  
JOH. MELCHIOR WERNER, Ufhof. Thuringus.  
M. JOH. GOTTFRIED HERING, Dresdensis.  
CHRISTIANUS TEUERLEIN, Calov. Lufatus.  
M. GEORG. ANDREAS BEIREISS, Mulhusinus.  
MICHAEL GOTTLIEB SARTORIUS, Gedanensis.  
M. AUGUST. LUD. FISCHERUS, Langensalza Thuring.  
M. JOH. GEORGIUS WERNERUS, Königt. Misnicus.  
M. JOH. CHRISTOPH. KOEHLERUS, Palæo Gotteran.  
JOH. CHRISTOPH. SCHEIBNERUS, Donav. Misnicus.  
JOH. THEOPHILUS HAGENBRUCH, Echzellenfis Wett.  
PETRUS MAGULACZ, Alnovia Hungarus.  
MICH. HENRICUS KRAUSE, Franco-Schalcoviensis.

Tandem vero Benevolus Lector preces suas jungere nostris ne dedignetur, ut DEUS hostium conatibus ubique obicem ponat, nosque in veritate ac pace conservet. PP. Dom. XXIV. post Trinitat. in ipsa clausula coronae annuae. A. O. R. MDCCXIII.

---

VITTEMBERGÆ, Literis GERDESIANIS.



AB: 153257




SR

VD 78

R

VD 77







Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

8	Black	
7	3/Color	
6	White	
5	Magenta	
4	Red	
3	Yellow	
2	Green	
1	Cyan	
0	Blue	



17

BENEVOLVM  
KOPTATISSIMAE  
VOTO  
CIPIT

**TINVS  
DENIVS**

CTOR ET PROFESSOR  
REG. ELECT. EPHORVS  
ORD. THEOL.  
CANVS.

19

